

Simon Hennings Heinrich Fuhrman

Disputatio Theologica De Johanne Baptista, Et Sacro-Sancto Baptismo

Rostochi: Weppingius, 1692

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn733810497>

Druck Freier  Zugang



RU theol. 9. Juli 1692

Fuhrmann, Henr.

Henning, Simon

23.

L. N. 7.
DISPUTATIO THEOLOGICA
De

238

**JOHANNNE
BAPTISTA,
ET
SACRO-SANCTO
BAPTISMO.**

QUAM
Sub Divini Numinis auspicio
Consentiente Veneranda Facultate Theologica
in Illustri ad Varnum Academia
PRÆSIDE


SIMONE HENNINGIO,
S.S. Theol. Doct: ad Templ: Cathedr:
ARCHI-DIACONO & Cœnobii ad S. Cruc.
PASTORE

Publico & placido subicit Examini
HENRICUS FUHRMAN,
RIGENSIS
PHILOSOPH. CANDID.

Horis Antemeridianis in AUDITORIO MAJORI 1692
Ad Diem IX. Julii Anno CHRISTI M. DC. XCII.

Rostochi Typis JOH. WEPPLINGII, Univerf. Typogr.

DEO,
PATRI,
ET
PATRIÆ.



IN NOMINE DOMINI!
PRÆLO QVIUM.



Rimum quod nobis

de *Pracone & Organo* gratiæ differētib⁹ precamur, est *Gratia DEI*, quippe sine qua nihil boni vel incipere vel perficere possimus. Tria sunt, (uti monui in *Philocalia*) quibus opus est ad sacrum studium. *Oratio, Meditatio, Tentatio*, Proinde necesse est, ut Spiritus gratiæ & precū sit præ-

stō in *Oratione*; *Lumen* gratiæ & sapientiæ collustret in *Meditatione*; *Flamen* gratiæ & virtutis adspiret in *tentatione*. Sacerdotis CHRISTI os, mens manusque concordent, ait Hieronymus. (Tom. i. Ep. ad Nepot. p. 14. At sine gratia Divina officio suo fungi nequeunt. Non os, ut eloquatur; non mens, ut speculetur; non manus, ut operetur salutaria. Gratia DEI instruit os, disponit mentem, dirigit manum, ut os edisserat Magnalia DEI; mens percipiat Mirabilia Verbi; manus exprimat imitabilia CHRISTI. Varia est gratia DEI, eaque necessaria in Ecclesia, in qua sunt rudes & hi instituendi, tristes & consolandi, infirmi & stabiliendi, lapsi & erigendi, contradicentes & refutandi, Hinc unicuique data est gratia secundum mensuram donationis Christi, ut fatur Apostolus in *Epistola ad Ephebios c. IV. 7.* Faxit DEUS T. O. M. a quo est omne bonum, imo qui ipse est Omne & totum & summum Bonum, ut & nos eam quam accepimus gratiam debito administremus modo, quo sumus è numero bonorum dispensatorum multiformis gratiæ DEI ut loquitur Petrus i. Ep. *IV. 10.* Et ut quilibet nostrum semper sibi in memoriam revocet illud præceptum Pauli in *prima ad Timotheum Epistola* perscriptum, Noli negligere gratiam, quæ in Te est. *c. IV. v. 14.*

SECTIO I.

SECTIO. I.

COMPREHENDENS

MEMORABILIA JOHANNITICA.

I.

JOHANNES BAPTISTA (cujus hæcenus in Ecclesia iteratis vicibus facta est mentio) Magnus extitit coram DEO, Angelis & hominibus. Magnus fuit coram DEO, cum CHRISTUS qui est supra omnes DEUS benedictus in secula (*Rom. IX. 5.*) disertis verbis testetur, quod non sit suscitatus inter genitos è mulieribus, quisquam major Johanne Baptista *Matth. XI. II.* Magnus fuit coram Angelis, cum Gabriel hoc eidem erigat Thema Natalitium: Multi super ejus nativitate gaudebunt; erit enim Magnus *Luc. I. 14. 15. 19.* Magnus fuit coram hominibus quippe qui magnam de eo spem & opinionem conceperunt cogitantes numnam ipse esset Christus ille *Luc. III. 15.* Et sic Johannes nomine & re gratus fuit apud DEUM, Angelos & Homines. Apud Deum qui eum à primo vitæ momento sibi consecravit: Apud Angelos quorum unus nomen & officium præsignificavit: Apud Homines quos benigno suo lumine revocillavit. *Luc. I. 13. 15. 17. Job. V. 35.* Gratus erat DEO, in cujus conspectu serviebat: Angelis, quorum consortio gaudebat. Hominibus quorum salutem ambiebat. Non possum quin adscribam ea, quæ eleganter & eloquenter de nomine & nominatione Johannis Ambrosius & Chrylostomus proponunt. Ambrosius ait: *Videte Sancti Baptista meritum, vocem Patri reddidit, sacerdoti eloquentiam reparavit. Videte, inquam, meritum: Os quod Angelus alligaverat, Johannes absolvit; quod Gabriel obstruxerat, parvulus reseravit. Respiciite igitur Johannem; quanta vis sit ejus voculi,*

buli cuius nuncupatio reddit muto vocem, Patri pietatem, populo sacerdotem, Prius enim erat tacens lingua, sterilis filio, privatus officio. At ubi Johannes nascitur fit repente Pater, Propheta vel Pontifex; loquela usum recepit, prolem affectio suscepit, sacerdotem functio recognoscit. Chrysoſtomus in Encomio de Natali Præcurſoris hunc in modum loquitur: O novum & alienum miraculum! Nomen ſcribitur & os Patris, quod loqui non poterat, aperitur. Johannes vocatur, & ejus qui vocat, lingua componitur & concinnatur. Ecce ipsum Juſti nomen & os aperit ſilentii & excitat linguam ad movendum difficilem, Sic enim ostenditur vox Clamans Johannes, quoniam ipsum quoque nomen fit vocis operatio.

II.

Non immerito dicitur JOHANNES Auditor PATRIS, Baptiſta FILII, ſpectator SPIRITUS SANCTI, teſtibus tribus Evangeliſtis *Matthæo. c. III. 13. Marco. c. I. 9. Luca. c. III. 21.* Auditor fuit PATRIS clamantis de cælo; Baptiſta FILII ſtantis in Jordane: Spectator SPIRITUS SANCTI ſedentis in CHRISTO. PATER revelat ſe voce; FILIUS in Carne; SPIRITUS SANCTUS in ſpecie columbæ. Hinc triplex Unio h. l. ſe conſiderandam præbet. Eſſentialis inter tres Perſonas S. S. TRINITATIS: Personalis inter duas naturas in CHRISTO: Accidentalibus inter SPIRITUM SANCTUM & aſſumptam formam. PATER non eſt ſine FILIO propter quem Pater eſt, & ſicut ſemper eſt DEUS PATER, ſic & ſemper ille cujus Pater eſt, Patre nominato Filius ſtatim intelligitur. Nec FILIUS eſt ſine Patre, æternaliter enim FILIUS ex Patre genitus & naturaliter omnia poſſidet, quæ PATRI natura in ſunt. Nec SPIRITUS SANCTUS eſt ſine PATRE & FILIO cum ab utro

que procedat. Unica Vox PATRIS de Cœlo diversos sonos
in diversis auribus generavit, ita ut CHRISTUS audiret:
Tu es FILIUS meus dilectus sicuti Marcus & Lucas scri-
bunt; Reliqui vero: Hic est FILIUS meus dilectus, ut
Matthæus refert. CHRISTUS baptizatur humanè, qui
baptizat divinè; Baptizatur aqua, qui baptizat igne. SPI-
RITUS SANCTUS apparet specie columbæ, ut doce-
at se esse spiritum amoris & candoris, simplicitatis &
charitatis. Confirmavit autem Concio PATRIS, ver-
bum Propheticum; Baptisatio FILII, Sacramentum Ba-
ptisticum; Descensio SPIRITUS SANCTI, Ministerium
Ecclesiasticum.

III.

JOHANNES sistitur in in Utero, in deserto, in
Carcere. In utero quoad vitæ ingressum; in deserto quo-
ad vitæ progressum; in carcere, quoad vitæ egressum.
Fidem quam indicat in Utero, confirmat in deserto &
obsignat in carcere, Præcursoris officium inchoat in
utero, continuat in deserto, consummat in carcere. In
utero saltat & exultat; in deserto prædicat & baptizat:
in carcere audit & mittit. In utero veneratur præsentia-
m Domini: In deserto attestatur Adventum Domini:
In Carcere delectatur operibus Domini. Illustris fait in
Utero cognitione CHRISTI & repletionem SPIRITUS:
In deserto doctrinæ veritate & austeritate vitæ; In Carce-
re firmitate & fortitudine.

IV.

Multis modis JESUS & JOHANNES inter se
conferri possunt. Utriusque ortus est miraculosus. Il-
lius ex Virgine Viro incognita; Hujus ex muliere sterili
& decrepita *Matth. I. c. 18. Luc. I. 7. 18. 34. 36.* Utriusque no-
men ante nativitatem inditum *Matth. I. c. 21. Luc. I. 13. 31.*
Uterque

Uterque gerit titulum Angeli *Malach. III. i.* Uterque est incomparabilis. Ille plus quam Salomon est *Matth. XII. 42.* Hic plus est quam Propheta *Matth. XI. 9.* Longe tamen iste huic præferri meretur: Ille *θεάνθρωπος*; Hic *ψιλάνθρωπος*: Ille de cælo venit; Hic de terra est: Ille FILIUS dilectus; Hic servus electus; Ille CHRISTUS; Hic missus ante CHRISTUM; Ille sponsus; Hic Amicus sponsi. Ille Lux; Hic testis de Luce: Ille clamans; Hic vox clamantis. Ille docuit ex propria sua cognitione; Hic ex aliena revelatione. Ille SPIRITUS plenitudinem accepit; Hic vero ad mensuram. Ille crescit; Hic minuitur. *Conf. Job. I. 6. 7. 8. III. 27. seqq.*

V.

JOHANNES BAPTISTA & EVANGELISTA nomine & munere conveniunt, tempore & ordine disconveniunt. Stella Veneris *Φώσφορος* Græcè, Lucifer latinè dicitur, cum antegreditur solem; cum subsequitur autem, Hesperos, notante Cicerone L. 2. de Nat. Deorum §. 53. p. m. 306. Tom. IV. Johannes Baptista rectè dicitur Phosphorus: Johannes Evangelista vero Hesperus. Ille stella matutina; hic stella vespertina. Ille antegreditur; hic sub sequitur solem justitiæ. Ille denunciat Adventum primum; hic Adventum ultimum *Job. I. 27. I. Job. II. 18.* Istic unum lumen & duo nomina; Hic vero unum nomen & duo Lumina.

VI.

De JOHANNES BAPTISTA in JOHANNES EVANGELISTA. c. V. 35. dicitur: Erat ille Lucerna ardens & lucens. Ardens charitatis fervore; Lucens veritatis splendore. Ardens in seipso; Lucens coram aliis; Ardens increpatione; Lucens conversatione; Ardens præcepto; Lucens exemplo. Ardens sapientia; Lucens

Lucens prudentia. Ardens corde; Lucens opere.

VII.

Sine omni Contradictione JOHANNES affirmatur & negatur esse ELIAS *Luc. I. 17. Job. I. 21. Mal. IV. 6. Matth. XI. 14.* Est Elias doctrinâ; non est personâ: Est Elias Spiritu; non est corpore; Est Elias zelo; non est è cælo. Est Elias conversurus; non est reversurus; Est taxatione errorum; non est patratiōe miraculorum: Est Elias per *μίμησιν*; non est per *μετεμψύχωσιν*; Est Elias *δουράμει*; non est *παράξει*.

SECTIO. II.

CONTINENS

NOTABILIA BAPTISTICA

I.

Sacramentum Baptisticum est prius Sacra Cœna & Tempore & ordine. Tempore, quia prius à CHRISTO institutum & à discipulis CHRISTI administratum. Ordine, sicut in natura sic & in gratia prius est nasci quàm pasci, generari quàm augmentari.

II.

βαπτισμὸς & βάπτισμα dicitur *ἀπὸ τῆ βαπτίζειν* quod significat in genere, immergere, imbuere, tingere, lavare. *Conf. Judith. XII. 7. Sir. XXXIV. 30. Marc. VII. 48. Luc. XI. 38.*

III.

Accipitur Vox hæc vel tropicè vel propriè. Tropicè accepta sumitur vel Metaphoricè vel Synechdochicè. Metaphoricè usurpatur pro Baptismo vel sanguinis vel ignis leu flaminis, vel nubis & Maris *Matth. XX. 22 Marc. X. 28. Luc. XII. 50. Matth. III. 2. Marc. I. 8. Luc. III. 16. Act. I. 5.* Synechdochicè pro Baptismo Luminis s. doctrinæ

Matth.

Matth. XXI. 26. Marc. XI. 30. Act. XVIII. 25. 1. Cor. X. 2. Propriè notat aut *generaliter* quamvis lotionem sive vulgarem sive singularem, & hanc vel religiosam vel supersticiosam, vel ex Institutione Divinâ, vel ex Traditione Humanâ acceptam; aut *specialiter* designat Sacramentum primum N. T. Quæ significatio est hujus loci. Perperam vero dicitur Baptismus Christianorum originem traxisse à Baptismo Judæorum, cum hic nec præceptus, nec nisi Symbolicus, & ad tempora V. T. restrictus.

IV.

Triplex communiter memoratur Baptismus, vel fluminis, vel fluminis, vel sanguinis: Baptismus scilicet vel Spiritus, vel Aquæ, vel Martyrii. Jam verò non est sermo de Baptismo Spiritus; qui spirat ubi vult; nec de illo Martyrii, quo nonnulli opere, non voluntate, ut infantes; nonnulli voluntate, non opere, ut Confessores; nonnulli voluntate & opere, quemadmodum Martyres adulti, sed de propriè dicto scilicet aquæ. Licet vero Baptismus sanguinis cum Baptismo fluminis conveniat nudo & solo nomine; non tamen culpæ & pœnæ remissione. Hæc enim soli sanguini CHRISTI tribuitur, passionibus pariter ac actionibus nostris demittitur. *Rom. VIII. 18. 2. Cor. IV. 17.* Differunt itaque Baptismus sanguinis & fluminis tam quoad effectum; quam quoad elementum & ille denegandus pariter Martyrio effectivo quam affectivo. Prædicationem non ignoramus; Sed Institutionem desideramus. Agnoscimus gratiam, quam DEUS Martyribus largitur; non verò gratiam, quam ipsi merentur. De nullo quoque Martyre legitur, quod fiduciam poluerit in Baptismo sanguinis. Nullus sanguis humanus, sed solus sanguis divinus est meritarius & expiatorius *1. Job. I. 7.* Distinctionem inter

B

Bapti-

Baptismum ex- & internum velut plurimorum errorum scaturiginem repudiamus, inhærentes pronuntiato Apostolico: Unum Baptisma. *Eph. IV. 5.* & Symbolo Niceno: Confiteor Unum Baptisma. Rejiculæ quoque sunt istæ acceptiones, quibus vel τὸ baptizare sumitur pro docere & docendo initiare, cum nullus ex Universo Codice sacro produci possit locus, in quo taliter capiatur; vel Baptismus pro fide interna; cum h. m. confundatur Organon ex parte DEI *δοτικόν* & ex parte nostri *ληπτικόν*.

V.

Appellationes quas Baptismus in scriptura sacra obtinet, sunt vel propriæ, vel tropicæ, vel typicæ, vel mysticæ, vel ab essentia, vel ab efficacia petitæ, quando dicitur vel Aqua *Job. III. 5. Hebr. X. 21.* vel Lavacrum Aquæ in Verbo *Eph. V. 26.* vel Lavacrum Regenerationis & Renovationis SPIRITUS SANCTI *Tit. III. 5.* Item *ἡ ζωὴ ἡ ἀληθινή* *Col. II. 11.* Diluvium spirituale *Pf. XXIX. 10.* In Circumcisione sanguis, in Baptismo sanguis & aqua. In diluvio aqua sanguinem, in quo est Vita, delevit: In Baptismo aqua per sanguinem CHRISTI, in quo est vera vita, servat vitam hominum. Potest etiam hunc in modum comparatio institui, quod sicut in diluvio, sic & in Baptismo alii in vita conserventur, alii autem morti tradantur. Dicitur quoque piscina Bethesda *Job. V. 2. 3. 4.* mare vitreum simile Chrystallo. *Apo. IV. 6.*

VI.

Quamvis Baptismus in N. T. demum institutus sit, tamen in V. T. & dictis & typis prænunciatus & præfiguratus. Dicta plura sunt, potiora tamen quæ memorentur *Aquam* vel Refectionis *Pf. XXIII. 2.* vel Benedictionis *Es. XLIV. 3. 4.* *Sanguinem* vel quo vel à quo fiat ablutio *Conf. Es. LIII. 15. Ezech. XVI. 9.* Typi sunt varii, primarij tamen Arca

Arca Noachi in Diluvio ex Libro primo, Transitio Israelitarum per mare rubrum ex Libro secundo Mosis. Iam Petrus; Hanc Paulus Baptismo accomodat. Conf. *1. Petr. III. 21. 1. Cor., X, 2.* Huc etiam spectant vaticinia de CHRISTO ut fonte vivo, deque SPIRITU SANCTO ad similitudinem aquarum effundendo. Item de purificatione futura sub N. T. nec non de aquis novis egresfuris Civitate DEI *Zach. XIII. 1. Ezech. XXXVI. 25, 26. & XLVII. 8.* Licet ergo hic Articulus in V. T. non plenè fuerit perspectus, non tamen planè fuit incognitus.

VII.

Autor Baptismi est CHRISTUS JESUS, qui Baptismum & suscepit & præcepit *Matth. III. & XXXVIII.* Sicque confirmavit primam Institutionem & Divinam Ordinationem, quæ satis clarè & disertè colligitur ex *Matth. XXI. 25. Luc. III. 2. VII. 29. Job. 1. 33. collat. cum Act. 1. 38. VII. 36. IX. 18. X. 47. XVI. 30. XIX. 47. XXII. 10.* In quibus locis discipuli CHRISTI dicuntur (1) baptizasse (2) aquâ baptizasse (3) in Nomine DOMINI baptizasse (4) prius docuisse & deinde baptizasse (5) baptizasse eos qui jam ante credentes SPIRITUM SANCTUM acceperant. Quæ omnia evincunt, Apostolos à CHRISTO mandatum baptizandi aqua accepisse. Ut adeo Baptismus non tantum sit toleratus sed etiam mandatus, vel non DOMINO permittente sed jubente receptus. Non solum autem Institutio Baptismi CHRISTO *θεσθεράπων* est adscribenda; sed nec Humana CHRISTI Natura ab ea est secludenda.

VIII.

CHRISTUS non *ἀμίσως* sed *ἐμμέσως* baptizavit, teste Evangelista *Job. III. 22. IV. 11.* Procul dubio id factum ut discrimen vanum immediatè & mediatè baptizati tolleret;

leret; & discrimen verum internè & externè baptizan-
tis poneret. Noluit autem CHRISTUS Ipsemet aquâ
baptizare, quia secundum Vaticinium Johannis Baptistæ
SPIRITU SANCTO & Igne baptizaturus erat, quod
in die Pentecostes impletum est. Et si vero ipse non
baptizarit, tamen discipuli ejus baptizarunt Nomi-
ne scilicet & jussu CHRISTI, ut simul ostendatur, quod
Sacramentorum virtus non pendeat à persona admini-
strantis, sed ab infimo & supremo administrata autori-
tate CHRISTI autoris æqvè salutaria sint. Hinc eva-
nescit illorum opinio, qui CHRISTI manu Apostolos,
saltem Petrum baptizatos existimant. Verisimile po-
tius videtur Apostolos æqvè ac CHRISTUM à Johanne
baptizatos esse.

IX.

Minister Baptismi primarius fuit Johannes ἰωάννης
dictus; Ordinarius est Ecclesiastes, qui non minus ad ba-
ptizandum quàm docendum est vocatus *Matth. XXVIII. 19.*
Marc. XVI. 15. Et velut Oeconomus Mysteriorum DEI
1. Cor. IV. 1. accommodat DEO non tantum os in verbi
prædicatione, sed & manus in sacramentorum dispen-
satione. An verò Angelus talis esse possit, dubium est,
cum illi non sit commissa ista Oeconomia. Non qui-
dem dubitatur de pronunciationis verborum sacramen-
taliū possibilitate, sed de Sacramenti ipsius veritate.
Horrendum est illorum assertum, qui Satanæ Baptismum
pro legitimo habent. Extraordinarius in casu necessitatis
& foemina aut Laicus esse potest, ut olim in Circumcisione
Exod. IV. 25. 2. Macc. VI. 10. Baptismus enim in locum Cir-
cumcisionis legalis succesfit, eademq; est necessitas Ba-
ptismi *Job. III. 5.* quæ Circumcisionis *Genes. XVII. 14.* æqvè
etiam Circumcisio demandata erat Abrahamo Prophetæ.
Ibid.

Ibid. v. 9. 10. 11. quàm Baptismus vocatis Apostolis. Dixi autem in Casu necessitatis, cum videlicet infans aliquis nascitur maximè æger, vel alias improvisò lethali morbo corripitur, ut nullus ordinarius verbi præco tam citò haberi possit, & vel à privata Persona infans baptizandus, vel etiam absq; baptismo ei ex hac vita migrandum sit. In ejusmodi extrema necessitate multo melius esse docent Nostrates, ut alia Christiana Persona vir aut mulier infantem baptizet, quàm ut is sine Baptismo de hac vita decedere permittatur. Par fuit sententia Veteris Ecclesiæ. Videatur Tertullianus. Lib. de Baptismo & Hieron. Dial. contra Lucif.

X.

Baptismus Johannis à DEO est institutus, quippe cujus & jussu & svalu est administratus. *Conf. Luc. VII. 30. Luc. III. 3.* Ipse Baptista testatur se missum à DEO *Job. I. 33.* Ejusq; Baptisma dicitur fuisse ex cælo *Matth XXI. 25.* Imò tota S.S. TRINITAS miranda Θεοφωσία idem comprobavit *Matth. III. 15.* Falsum itaq; quod Baptismus Johannis prorsus diversus fuerit à Baptismo CHRISTI, cum tamen eandem materiam & formam habeant, uti constat ex *Matth. III. 11. Luc. III. 3. Marc. III. 3. Act. 1. 38. XVI. 4.* Et sicut doctrina Johannis planè fuit eadem quæ CHRISTI; sic & sacramentum Baptismi. Sacramenta enim sequuntur naturam doctrinæ, cujus sunt figilla. Imò consequens foret alio Baptismo CHRISTUM Caput nostrum, & alio membra ablui.

XI.

Quamvis Baptismum conferens non sit rectè vocatus, Baptismus tamen ab eo ritè collatus non est irritus censendus; cum vocatio legitima sit magis necessaria respectu Ministri quàm Ministerii. Licet unus Minister plu-

B;

res

res simul baptizare possit, cum numerus baptizandorum non sit definitus, & extrinsecus accedat Sacramento; Tamen plures eundem baptizare nequeunt, quia nec mandatum, nec exemplum habemus, & præterea huiusmodi ritus confusionem aliquam infert, violatqve ordinem & decorum. 1. *Cor. XIV. 40.*

XII.

Baptismus ab Hæretico non quidem est temerè petendus, dextrè tamen collatus non est repetendus, cum Baptismi Veritas æqvè ac Circumcisionis non à Ministerialibus, sed substantialibus dependeat. Leviticorum Sacerdotum superstitionem maximè, Circumcisionem minimè improbant Prophetæ quin potius per eam DEO filios & filias gigni dicant. *Conf. Ezehc. XVI. 40.* Quod in defectu hominis Christiani homini infideli, qui ipse non est baptizatus, baptizare alterum liceat; quodq; in casu extremæ necessitatis aliquis seipsum baptizare possit, nonnulli affirmare ausint. Rectius tamen utrumq; negandum videtur. Illud quia sacramenta sunt bona Ecclesiæ, quæ is qui extra Ecclesiam constitutus est, non potest dispensare, imò committeret sacrilegium, si aliena bona dispensaret. Hoc vero quia verba Institutionis baptizantes à baptizandis ut Personas à Personis discernunt *Matth. XXVIII* CHRISTUS Ipse instituit quidem Baptismum, tamen ab alio baptizari maluit. Ut taceam analogiam regenerationis & generationis, Sicut enim se aliquis generare non potest; sic nec regenerare.

XIII.

Baptismus administratus à Ministro improbo non est improbandus. Constat enim, Baptizantis indignitatem Baptismatis integritatem non tollere. *Job. I. 26. 1. Cor. III. 5. 7. 1. Cor. IV. 1. Rom. III. 3.* Judæ baptizantis impro-

improbitas nihil derogavit Baptismi virtuti. S. Augustinus *Epist. CLXVI. semper est DEI illa gratia & DEI sacramentum; Hominis autem solum Ministerium: qui si bonus est, adhaeret DEO, & operatur cum DEO, si autem malus est operatur per illum DEUS visibilem sacramenti formam; Ipse autem donat invisibilem gratiam.* Idem *Lib. II. contra Cresconium c. XXI. Baptizant quantum attinet ad visibile ministerium & boni & mali; Invisibiliter autem per eos ille baptizat, cujus est & visibile Baptisma & invisibilis gratia. Tingere ergo possunt & boni & mali; abluere autem conscientiam non nisi ille qui semper est bonus.* Et *Lib. III. c. VIII. Nihil refert ad efficaciam sementis & plantationis, an lotis manibus; an sordidis id fiat, modò bonum sit semen & terra fertilis, nec desit calor solis & pluvia de caelo U. S. Chrysost. Homil. III. in I. Ep. Pauli ad Corinthios. Ουκ ὁ βαπτίζων ἀλλ' ὁ κληθεὶς εἰς τὸ βάπτισμα ζῆτεῖται; ἔτι δ' ἀφίησι τὴν ἀμαρτήματα.* Non queritur, qui baptizavit, sed qui invocatur ad Baptisma. Is enim remittit peccata.

XIV.

Baptismus aquâ fieri debet; Hæc enim à Johanne in Jordane Baptizante est usurpata: & à CHRISTO baptizato est sanctificata. *Matth. III. 11. Marc. I. 8. Luc. III. 16. Joh. I. 26. Act. I. 5. XI. 16.* Proinde non licet nobis alium liquorem specie ab aqua differentem substituere. In casu necessitatis si desit aqua, potius piis precibus infans DEO est committendus, quam substantia Baptismi mutanda. Hujus autem qualitas & quantitas non præcisè attenditur, si modo sit naturalis, vera & pura. *Hebr. X. 22.* Perinde est sive sit aqua fluviatilis sive fontana sive maritima sive ex stagnis, sive ex cisternis.

XV.

Non opus est ut aqua in Baptismo adhibenda prius
confe.

consecratur, cum jam à Magistro per Institutionem & susceptionem fit consecrata, à Ministro verò per verbum & preces consecranda. Hinc rectè dicitur à B. Luthe-ro in Cat. Baptismus non simpliciter aqua, sed quæ sit Divino mandato inclusa & Verbo DEI comprehensa. Id ipsum quoque Apostolus indigitat, quando Baptismus vocat Lavacrum aquæ in verbo, ut distingatur ab omnibus aliis lavacris externis, quibus corporis tantum sordes abluuntur. Hoc enim lavacrum ad ipsam hominis animam, adeoque totum hominem efficacissimè per-tingit, eumque mundat & à peccatis purgat, ut exhibea-tur tandem CHRISTO gloriosus & sit sine macula & ruga *Ephef. V, 26. 27.*

XVI:

Consilia & Opera Divina mirari decet, rimari non licet. Non absurdè tamen dicitur & docetur DEUM ad sacratissimum Baptismi sacramentum aquam adhibere voluisse, quod hæc serè cuius ubivis esset obvia. Ac-cedit analogia quæ aquam & Baptismus intercedit. Il-la corporis; Hic cordis sordes abluit *Ezech. XXXVI, 25. 1. Pet. III. 21.* Placuit quoque DEO ut quæ Virtute SPIRITUS SAN-CTI fuit *κρίσις*, eadem *ἀνακρίσις* fieret principium & medium. S. Ambrosius de his qui initiantur myste-riis c. III. *Considera, inquit quod vetus mysterium sit in ipsi-us mundi prefiguratum origine. In principio ipso quando fecit DEUS Cælum & terram, spiritus ferebatur super a-quas. Qui ferebatur super aquas, non operabatur super aquas? Et Tertullianus c. IV. de Baptismo: Omnes aquæ de pri-stina originis prerogativa Sacramentum sanctificationis con-sequuntur, invocato DEO supervenit enim statim spiri-tus de cælis & aquis superest, sanctificans eas de semet ipso & ita sanctificate, vim sanctificandi combibunt,*

XVII,

XVII.

SPIRITUS SANCTUS velut Ignis cum Aqua
 supernaturaliter & sacramentaliter conjunctus Regene-
 rationem & Renovationem in illo qui ipsi non relu-
 ctatur operatur *Job. III. 5.* Aliud est Opus; aliud Ope-
 ratio. Aqua est opus, SPIRITUS est operatio. Cum
 SPIRITUM accipit aqua, hoc Elementum fit sacra-
 mentum. Aqua est visibilis, SPIRITUS invisibilis. Grati-
 am exhibet Aqua forinsecus; Efficit SPIRITUS intrinsecus.
 Sicut in generatione; Sic & in Regeneratione Pater &
 Mater concurrunt. DEUS, Pater; Ecclesia, Mater.
 DEUS dat SPIRITUM, Ecclesia aquam. Duplex sco-
 pus in Baptismo proponitur, Mortificatio, & Vivificatio,
 Illa aqua innuitur; Hæc SPIRITU perficitur. Ambro-
 sius *l. c. c. IV.* Cognosce, ait, quod aqua non munda sine Spi-
 ritu, ideoq; legisti quod tres testes in Baptismate unum sint,
 aqua sanguis & SPIRITUS: quia si unum horum detrabas non
 stat Baptismatis Sacramentum. Et mox: Tene ordinem rerum
 in hac fide, mundo mortuus es, & DEO resurrexisti, & quasi
 in illo mundi es sepultus elemento, peccato mortuus, ad vitam
 es resuscitatus æternam. Crede ergo quia non sunt vacue
 aquæ. Ideo Tibi dictum est: quia Angelus Domini descende-
 bat secundum tempus in natatoriam & movebatur aqua, & qui
 prior descendisset in natatoriam post commotionem aquæ sanus
 fiebat à languore quocunq; tenebatur. Hæc piscina in Hiero-
 solymis erat, in qua unus annuus sanabatur. Sed nemo ante
 sanabatur quam descendisset Angelus, movebatur aqua propter
 incredulos. Illis signum, tibi fides. Illis Angelus descende-
 bat, tibi SPIRITUS SANCTUS, Illis Creatura movebatur, ti-
 bi ipse DOMINUS creatura operatur. Et Augustinus tract.
 12. in Johann. Si propter hereditatem Patris hominis tem-
 poralem nascitur ex visceribus matris carnalis propter

C

bære

hereditatem Patris DEI sempiternam, nascitur ex visceribus Ecclesie. Generat per uxorem filium Pater moriturus successurum, generat DEUS de Ecclesia filios non successuros sed secum mansuros. Quemadmodum vero Materia Baptismi terrena est aqua: Sic & Materia cœlestis est SPIRITUS quem CHRISTUS I. c. connectit cum aqua per particulam Ex, quæ est nota Causæ materialis. Jam dubio procul sicut ex aqua dicimur renasci, ita in eodem ordine causarum dicimur renasci ex SPIRITU, quia unius particulæ in eodem loco diversus significatus esse nequit. Conf. Tit. III. r.

XVIII.

Forma Baptismi consistit in Hominis baptizandi ablu-tione, & Nominis Ter-Sancti invocatione. Utraque con- & iungitur. *Matth. XXVIII. 19.* Et sic absolvitur actione dantis & accipientis quatenus aqua consecrata in Nomine PATRIS, FILII & SPIRITUS SANCTI, & vi consecrationis cum re cœlesti unita confertur, atque illi, qui baptizatur à DEO per Ministrum, una eademque actione secundum modum sacramentalem gratia fœderalis, simul offertur. Ex parte autem baptizati $\lambda\eta\psi\alpha\varsigma$ accedit, dum ille se baptizari non repugnat.

XIX.

Usitata formula nec mutanda nec omittenda, cum in Verbis Institutionis sit præcepta & præscripta. Urautem consveta hæc formula: EGO TE BAPTIZO IN NOMINE PATRIS, FILII & SPIRITUS SANCTI evidentiore reddatur, gemina tenenda est illius explicatio Nœtica & Dianœtica. Nœtica explicatio fit ratione vocum singularum: EGO includit causam Principalem indirectè, Ministerialem directè. Nam Minister baptizat non quia homo, sed quia servus DEI nec suo sed Dei nomine.
BAPTIL.

BAPTIZO s. immergendo s. aqua aspergendo, comprehendit enim utrumque: TE, per quam vocem applicatio Baptismi denotatur. IN NOMINE PATRIS, FILII & SPIRITUS SANCTI, In quibus verbis duo continentur Essentiæ Unitas & Personarum Trinitas, Diænötica explicatio sensum verborum inquiri, & sic Baptismum quadrupliciter considerat ratione (1) Institutionis innuit Efficientem S. S. TRINITATEM. (2) Administrationis exprimit formam quæ consistit in duobus actibus Verborum pronuntiatione & immersione vel aspersione (3) Constitutionis designat causam materiale[m] quæ est aqua & in voce BAPTIZO involvitur & S. S. TRINITAS. (4) Confæderationis continet causam finale[m], quæ consideratur ex parte DEI, quatenus ipse fædus nobiscum, inquit; & NOSTRI quatenus illi nomen damus & servitium promittimus.

XX.

Verba Institutionis non quæ sonum, sed quæ sensum accipienda. Sic parum refert, num in tertia, an verò in prima persona Baptismus fiat. Neutra enim formula præcisè à CHRISTO definita: Illà Græci; Hæc Latini usi sunt. Perinde quoq; videtur sive in Nomine sive in Nomen dicatur, cum utraq; locutio reperiatur in scriptura. *ἐν τῷ ὀνόματι* Act. II. 38. X. 48. *εἰς τὸ ὄνομα* Matth. XXVIII. 19. I. Cor. I. 13. Prior tamen prioritatem obtinet ob consuetudinem Ecclesiasticam. In formula Baptismi quatuor notanda (1) Persona baptizans quam Græci omiserunt (2) Verbum baptizandi actum exprimens, quod Græci in tertia persona per modum imperandi protulerunt (3) Objectum h. e. baptizanda persona, quæ Græci in persona tertia expresserunt. h. m. Baptizetur servus Domini. Horum igitur respectu apud Græcos quædam fuit mutatio aliusq; verborum usus, quæ

C 3

tamen

tamen diversitas Baptismi integritatem haud tollit, quia essentialia inviolata relinquit (4) Personæ in quarum Nomine Baptismus administratur. Ubi nulla prorsus admittenda mutatio: Omnes tres enim Personæ pertinent ad substantiam Baptismi & singulæ singularia conferunt beneficia. Nec negligendum illorum monitum, qui volunt quod εἰς τὸ ὄνομα collatum cum Rom. VI 4. Galat. III. 27. singularem participationem oblatae rei, incorporationem scil. Baptizati in Baptizantem principalem, designet.

XXI.

Non frustra invocatur Nomen S. S. TRINITATIS in Baptismo; sed fit respectu tum baptizantis, tum baptizati. Baptizans testatur se non humano ausu, sed Divino jussu velut Ministrum & Mysteriorum dispensatorem baptizare. Baptizatus obligatur ad veram veri DEI, qui est unus in Essentia & Trinus in Personis, Cognitionem & Venerationem. Hinc Basilius Magnus Epist. LXXIIX. *Oportet nos baptizari sicut accepimus, credere vero sicut baptizati sumus, colere verò & glorificare sicut credimus, PATREM FILIUM & SPIRITUM SANCTUM, & de SPIRITU Sancto c. 12. scribit: Fides & Baptisma duo salutis modi sunt inter se coherentes & inseparabiles; Fides enim perficitur per Baptismum; Baptismus vero fundatur per fidem; & per eadem nomina utraque res impletur. Sicut enim credimus in PATREM, FILIUM & SPIRITUM SANCTUM: sic etiam baptizamur in Nomen PATRIS, FILII & SPIRITUS SANCTI & precedit quidem confessio ad salutem inducens; consequitur autem Baptisma obsequans nostram confessionem ac pactum.*

XXII.

S. S. TRINITAS in Baptismo praesens est non otiose sed gratiosè, & auferendo & offerendo. Auffert PATER iram

iram & vindictam; **FILIUS** culpam & pœnam; **SPIRITUS** S. angorem & terrorem, Offert **PATER** Gratiam & Misericordiam; **FILIUS** iustitiam & sanctimoniam; **SPIRITUS** S. Gloriam & Coronam. **PATER** baptizatum in Filium propter **FILIUM** receptum innuit: **FILIUS** filium **PATRI** acceptum redditurus sanguine suo abluit: **SPIRITUS** S. filium à **PATRE** receptum, in **FILIO** acceptum nova Virtute induit. **PATER** cum baptizato fœdus initum designat: **FILIUS** confœderato beneficia assignat; **SPIRITUS** S. fœdus ab utraque parte ratum & gratum obfignat.

XXIII.

Objectum Baptismi, est Homo vivus, verus, totus natus, sine discrimine sexus, status, gentis, ætatis, prævia tamen institutione & professione quâ adultos, & prudenti discretione Judæorum, Turcarum, Ethnicorum, Hæreticorum quâ infantes *Gal. III, 27. 28. Matth. XXVIII.*

XXIV.

Gynæco-Baptismus passivus nititur Institutione Dominica & praxi Apostolica *Matth. XXVIII. Act. VIII. 12. XVI. 15.*

XXV.

Infantes ex Parente vel alterutro vel utroque s. Christiano s. ad Christianismum converso aut nati, aut ab iis adoptati sunt baptizandi, vi promissionis factæ non minus liberis ac parentibus, *Gen. XVII. 7. Act. II. 28.*

XXVI.

Infantes gentilium in potestatem fidelium legitimis modis ac mediis redacti possunt baptizari, cum promissio divina etiam 'ad μακροὶς ὄψεις h. e. gentes pertineat, *Conf. Act. II. 39.*

XXVII.

Quod gentiles sint baptizandi Gentilium Doctor & dicto

C 5

dicto & facto demonstrat. Conferantur Acta Apostolica &
scripta Epistolica, & præ ceteris ad Corinthios & Galatas.
XXVIII.

Spurii & supposititii sicut à Circumcisione non fue-
runt exclusi; sic & à Baptismo non sunt excludendi. Conf.
Jud. XI. 1.

XXIX.

Baptismus Campanarum nullum nec præceptum
nec exemplum habet vel in sacra scriptura, vel in Eccle-
sia pura.

XXX.

Infantes nondum nati non sunt baptizandi: Nam
renati supponit qd nasci. Nec regeneratio dici potest,
quam generatio non præcessit.

XXXI.

Monstra, quæ humanam & pecuinam speciem præ-
se ferunt, minimè sunt baptizanda; Alia vero ratio est
monstrosorum partuum, qui speciem humanam retinent,
licet membro aliquo destituantur vel abundant.

XXXII.

Paulus ipse cœlebs baptizatus cœlibes baptizavit.
Cum integræ familiæ baptizatæ dicuntur in illis & cœli-
bes fuisse certum est.

XXXIII.

Nulli coacto & invito DEUS vult vel salutem vel me-
dia salutis, quæ inter & Baptismus est, obtrudi.

XXXIV.

Prout non omnes sine Circumcisione denati sunt da-
mnati, e. c. qui in Ægypto vix in lucem editi, in profluen-
tem projecti & qui in deserto intra decursum quadra-
ginta annorum citra circumcisionem sunt demortui; sic
nec omnes *ἀβέβητοι* simpliciter sunt damnandi: Gratia
enim

enim Dei non est strictior & arctior in N. quam in V. T.

XXXV.

Amentes & furiosi sunt vel nati vel facti. Illi infantibus æquiparandi: Hi tum demum baptizandi si vel antea, cum integra ratione fuerint, voluerint; vel postea cum ad mentem redeant, expetant.

XXXVI.

Infantes ex Christianis quoq; Parentibus nati, sunt peccato contaminati, & æternæ morti destinati. Quicquid caro & ex carne natum, non nisi ex aqua & spiritu reatum, potest ingredi Regnum cœlorum *Job. III. 5. 6.* Sanctus Paulus ipse de se & ceteris scribit: Erasmus naturâ filii iræ *Eph. II. 3.*

XXXVII.

Scriptura testatur infantes baptizatos DEO probari & salvari *Matth. XIX. 13. 14. 15. Marc. X. 13. 14. 15. Luc. XVIII. 15. 16.* Testatur eadem nos non nisi in, per & propter Christum DEO probari & salvari *Job. XIX. 6. Act. IV. 12.* Testatur deniq; nos non nisi fide esse in CHRISTO & beneficiorum ejus participes fieri *Rom. XI. 20. Ephes. III. 17.*

XXXVIII.

CHRISTUS baptizatus non se in aquis, sed aquas in se sanctificavit, ut per eas nos sanctificaret, non sanctificaretur.

XXXIX.

Baptismus aquæ est institutus velut ordinarium, necessarium & perpetuum N. T. sacramentum. Juber enim CHRISTUS docere & baptizare omnes gentes, quæ temporibus non solum Apostolorum, verum & successorum vixerunt, vivunt & vivent. Præterea non minus generalis gravissima jussio ac svavissima promissio, quæ statim subjungitur: Ecce EGO vobiscum sum omnibus diebus

diebus usq; ad consummationem seculi. *Conf. Matt. XXVIII.*

XL.

Verbum visibile pariter ac audibile non nudum signum, sed efficax organum gratiæ & salutis est. *Conf. Rom. I. 16. X. 17. I. Tim. IV. 10.*

XLI.

Tollitur in Baptismo peccatum quantum ad reatum non actum, quoad formale non materiale, propter statum personæ non naturæ. Hinc & baptizati variis calamitatibus, angoribus & doloribus animi & corporis, morbis mortiq; ipsi sunt obnoxii.

XLII.

Baptismi efficacia se extendit in futurum. Fœdus DEL semel initum, nihil irritum reddit. Num incredulitas hominum fidem DEL evacuabit? *Rom. I 13.* Quid fœdus, nisi fides DEL? Fœdus inter Baptismale & Conjugale comparatio instituitur. *Eph. V. 16.* Utrumq; est inviolabile & indissolubile. Scriptura de Virtute & efficacia Baptismi loquitur verbis in præterito, præsentis & futuro. Paulus *Tit. III. 5.* per lavacrum regenerationis salvos nos fecit. En tempus præteritum! Petrus *I. Ep. III. 21.* Baptismus nos salvat. En tempus præsens! CHRISTUS *Marc. XVI. 16.* Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit. En tempus futurum!

XLIII

Quodlibet tempus s. nocturnum s. diurnum l. commune s. solenne commodum quidem est; satius tamen dicimus & ducimus si Baptismus non diu differatur, sed continuo conferatur, præsertim si periculum vitæ subsit; & potius ante, quam post meridiem administretur: cum preces sobriæ magis seriæ sint,

XLIV.

Sicut Circumcisio in V. T. non fuit iterata: Ita
& Ba.

& Baptismus in N. T. non est iterandus. Sicut generatio carnalis; sic & Regeneratio spiritualis est initerabilis.

XLV.

Baptismus quidem in publico Ecclesiæ cœtu ordinariè est administrandus; non tamen illi ita alligandus, ut ne quidem urgente necessitate in loco privato baptizare liceat. Apostoli fanè ubivis locorum utpote sub dio *Act. II. 4.* in domo *Act. IX. 19.* in itinere *Act. VIII. 38.* in carcere *Act. XVI. 33.* baptizarunt.

XLVI.

ὄνομαθεσία consveta meritò retinetur ad imitationem Circumcisionis & testificationem inscriptionis in Librum Vitæ *Conf. Luc. I. 59. II. 21. X. 20.*

XLVII.

Signum crucis in fronte & pectore formatur in memoriam vel JESU CHRISTI Crucifixi, vel Veteris hominis crucifigendi *Rem. VI. 6.*

XLVIII.

Exorcismus velut Ceremonia non necessaria sed adiaphora, propter obsessionem non corporalem sed spiritualem, in usu non effectivo sed significativo usurpatur, adumbrans nimirum infantis in Regno Satanæ propter peccatum detentionem, & ex Regno satanæ per CHRISTUM redemptionem.

XLIX.

Susceptores eo fine adhibentur ut ante Baptimum infantum, post Baptismum parentum vices subeant.

L.

Ritus copiosos, otiosos, & superstitiosos condemnamus; Ritus & Scripturæ veritati & Ecclesiæ autoritati congruos commendamus.

D

ANTI:

ANTITHESIS.

I.

Errant qui vel Baptismum in genere à CHRISTO θεο-
ουνοῦ, vel Baptismum Johannis in specie à DEO
T. O. M. institutum negant. CALVINIANI quidem
attribuunt CHRISTO θεοουνοῦ Baptismi Institutionem,
at limitandum hoc esse secundum solam Divinam Natu-
ram, hypotheses illorum abundè arguunt, cujusmodi sunt
(1.) *Humanam Naturam non esse verè & realiter participem fa-
ctam Majestatis ac Excellentia Divinae;* Atqui Sacramenta
instituiere est excellentiæ & Majestatis Divinae. (2.) *CAR-
NEM CHRISTI non applicare gratiam & vitam;* sed qui instituit
sacramenta, gratiam & vitam applicat. (3.) *Humanam
CHRISTI Naturam esse in uno tantum loco;* Sed qui instituit sa-
cramenta, præsens etiam est ordinationi suæ quoties di-
spensatur. Conf. *Trelcatius & Bucanus in Instit.* PONTIFI-
CII Baptismum Johannis in particulari à DEO institutum
inficiantur & specificum discrimen inter Christi & Johan-
nis Baptisma inducunt. *Bell. de Bapt. c. 20. & 21. Costerus in Enchi-
rid c. 9. de Bapt.* OSTORODUS PHOTINIANUS in *Instit.*
Germ. c. 30. *Non potest, inquit, ex scriptis Apostolorum & Evan-
gelistarum demonstrari, Johannem divino mandato baptizasse.*

II.

Errant qui DEI & Ministri actionem in hoc sacra-
mento non verè distinguunt, sed nefariè disjungunt, ut
CALVINIANI Ministro nil tribuentes quam Baptismi
externi collationem, DEO verò soli & quidem separatim
baptismi interni administrationem. *Zwingl. in l. de Bapt.*
*passim. Calvinus L. 4. Instit. c. 25. sect. 8. Beza Coll. Mompel. Bu-
canus in Instit. Theol. loc. 42. Danaus in Oper. Ursinus in Catech.*
Sobnius Tom. 1. Oper.

III.

III.

Errant qui vel in statu libertatis alium, vel in casu necessitatis nullum ac ordinatum & orthodoxum Ministrum adhibendum censent, quique statuunt quod baptizare ad Diaconos pertineat extraordinariè, ad Episcopos autem ordinariè. PEPUZIANI aliàs QUINTILIANI dicti, sacerdotium adeò commune faciebant, ut eo etiam mulieres honorarent. *August de hæresi ad Quidv. c. 27.* secuti MARCIONEM qui mulieribus etiam extra casum necessitatis & quidem in publicis cœtibus baptizare permisit. *Cent. Magdeb. 2.* ANABAPTISTÆ contendunt omnes promiscuè Christianos ordinariè baptismum administrare posse. DONATISTÆ Baptismum ab hæreticis administratum inanem esse censebant. *Conf. August in l. de Bapt. cont. Donat. l. 1. c. 18. l. 2. c. 7. & in libris contra Crescom, Gramm.* CALVINIANI vocationem legitimam in baptizante necessariò requiri statuunt, baptismum in casu necessitatis à privata persona administratum simpliciter improbant. *Calvinus L. 4. Instit. c. 29. Beza in Coll. Mompel. Trelicatius. Bucanus in Instit. Paræus in Apol. Bibl. Herber.* Jidem sine ulla limitatione affirmant Baptismum à Pontificiis non esse petendum, imò nec in casu necessitatis à Lutheranis debere expeti *Conf. Buc. in Instit. & Polanus c. 6. Syntagm. & P. Martyr. in Epist. ad Eccl. Angl.* PONTIFICII Episcopis & Presbyteris omnem Baptismi administrationem deferunt, reliquis Clericis, qui in inferioribus ordinibus positi sunt, à munere baptizandi seclusis. *Catech. Rom. part. 2. Bellarm. de Bapt. c. 6.*

IV.

Errant qui Virtutem Baptismi à Virtute Ministri suspendunt, vel intentionem Ministri ad integritatem Baptismi necessariam esse contendunt. ANABAPTISTÆ efficaciam Baptismi à probitate Ministri suspendunt, quem

D 2

erro.

errorem Augustinus etiam notat in Donatistis eumq; gra-
viter refellit. Videantur ejus Libri contra Donatistas.
PONTIFICII efficaciam Baptismi alligant ad Ministri in-
tentionem, quæ simpliciter etiam ad integritatem ejus sit
necessaria. *Costerus in Enchir. Bell. L. 1. de sac. in gen. c. 27.*

V.

Errant qui vel igne vel sanguine baptizant. SELEU-
CIANI & HERMIANI igne baptizandum existimabant.
Philastrius de Heres. August. de Heres. c. 2. FLAGELLAN-
TES sanguine proprio, eoque; flagellis excusso atque expresso,
baptizandum esse dicebant. *Tribbe. in Chron.*

VI.

Errant qui vel purè & simpliciter non aquam, vel non
purè & simpliciter aquam adhibent. JACOBITÆ in vicem
aquæ signum crucis candenti ferro frontibus impref-
ferunt. *Bernb. Lucemb. in Chron.* ÆTHIOPEs ABYSSINI
dicti sub Presbytero Johanne baptizandos caractere stellæ
signare consueverunt. MANICHÆI aquam ad Baptismum
adhiberi volebant, propterea quod illam à malo DEO con-
ditam opinarentur, imò aquam veluti figmentum Dia-
boli exsecrabantur. *August. de heres. c. 46.* MARCITÆ li-
quoribus ex oleo & balsamo commixtis baptizarunt. NO-
BILES FOEMINÆ ex fastu aquis destillatis utuntur, v. g.
rosacea. Plerique è PONTIFICIIS disputant, in aqua palu-
dosa vel sulphurea, lixivio, brodio piscium vel carniū &
in urina baptismum esse posse. *Toletus L. 2. de Cas. Consc. q. 18.*
Richar. 4. sent. dist. 3. art. 3. q. 3. Gregorius de Valentia Tom IV. q. 1

VII.

Errant qui pro aqua Physica aquam Mysticam sub-
stituunt: sic PAULICIANI loco aquæ hæc verba substi-
tuebant: *Ego sum aqua viva Job. IV. 14.*

IIIX.

Errant qui vel ordinariè aquam prius certis ritibus
& ex-

& exorcismis consecrant, quam in Baptismo usurpant: vel extraordinariè quovis alio liquore non minus ritè quam aqua baptizari autumant. PONTIFICII decernunt aquam, quâ ad Baptismum utimur necessariò prius parandam & addito mysticæ benedictionis oleo consecrandam esse, idque nonnisi in vigiliis Paschatos & Pentecostes ad cohibendam astutiam Dæmonis, ne impediatur sacramenti effectum. *Catech. Rom. part. 2. Bellar. l. de Bapt. c. 2. Costerus in Enchir. c. 9. de Bapt.* PHOTINIANI docent non esse necessarium aqua baptizare, ritè etiam Baptismum quovis alio liquore perfici. *Moscorovius in refut. Lib. de Bapt. Smigleccii c. 8. Ostorodus in Instit. Germ. c. 39.* CALVINIANI cum nuda signa significantia ex sacramentis faciant, eò prolabantur ut ipsa substantialia mutare non erubescant. Sic enim Beza Ep. 2. *Desit aqua Et tamen Baptismus alicujus differre cum edificatione non possit, nec debeat, ego certè quovis alio liquore non minus ritè quam aqua baptizaverim.*

IX.

Errant qui in DEUM Unum non Trinum, vel Trinum non Unum baptizant. ut MARCITÆ, *Conf. Osiand. Cent. 2. Hist. Eccles.* GNOSTICI *Jren. l. 1. c. 18.* ARRIANI *Hieron. adv. Luciferianos. Athanas. serm. 3. contra Arrianos.* SAMOSATENIANI sive PAULINIANISTÆ, CATHRYGFS ac BONOSIANI. *August. de hares. c. 44. Ruffinus L. 1. Hist. c. 6.* ÆTIANI & EUNOMIANI. *Epiph. Tom. 2. l. 3. Hares. 76. August. de hares. c. 49.*

X.

Errant qui usitatam Baptismi formulam mutant aut mutilant vel augendo vel diminuendo. PONTIFICII aperte tradunt Baptismum esse posse, si quis dicat: Baptizo te in Nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti & beatæ Virginis Mariæ *Holcot. 4. sent. quest. 1. Guido de monte Rocherii in*

Manipulo Curatorum de Bapt. c. 3. Coffer in Apolog. l. contra Gomar. p. 231. SOHNIUS in Method. Theol. duplicem fingit verborum formam quâ in Baptismo utendum sit. Unam: *Baptizo te in nomine PATRIS, FILII & SPIRITUS SANCTI*; Alteram: *Baptizo te in nomine CHRISTI.*

XI.

Errant qui in Baptismo *λεχθίοντα* arbitraria, *πραχθέντα* vero necessaria statuunt. ZWINGLIUS non esse necessariam ullam certam verborum formam asserit Lib. de Vera & falsa Relig. cap. de Bapt. CALVINUS Lib. 4. 7^{no} s^{tit.} c. 15. p. 19. BEZA Ep. 2. MUSCULUS in Loc. Comm. KEC-
KERMANNUS *Syst Theol. Lib. 3. c. 8.* PISTORIUS in Hodogetico. BELLARMINUS L. 1. de Bapt. c. 1. dicitur Baptifimum ordinariè fieri debere per immersionem, non per asperfionem.

XII.

Errant qui vel nondum natos vel jam dum denatos baptizant. PETRUS AUREOLUS. 4. *sent. dist. 5. q. 1.* censet quod si pars aliqua principalis extra appareat, baptizari possit; sin vero pars minus principalis, sc. pes vel manus appareat, Aureolus existimat non esse baptizandam; LANDULPHUS verò statuit quod sit baptizanda. CERINTHIANI mortuos baptizarunt *Epiph. bar. 28. contra Cerimb.* Atque hæc consuetudo baptizandi mortuos apud quosdam in primitiva Ecclesia usitata fuit, ut apparet ex *Concil. Carthag. 3. c. 6.* Chrysoft. *Homil. in Act.* refert à quibusdam suo tempore etiam mortuis infusam Baptifini aquam.

XIII.

Errant qui vel inanimata vel bruta baptizant. PONTIFICII campanas magna pompa baptizant uti describit Sleidanus Lib. XXI. ad annum Christi c^{lo} l^o XLIX p. 659.

Primo

Primo quidem, inquit, sic campanas pendere oportet ut circumiri possit Episcopus, qui cum Psalmos aliquot demurmuravit, aquam & salem consecrat, simulque miscet, eaque foris & intus campanam diligenter lavat, post extergit & oleo sacro formam crucis in ea describit, Deumque precatur, ut cum impellitur & insonat campana fides & caritas in animis hominum augeatur, faceant omnes insidia Diaboli, grando, fulmina, venti, tempestates, & omnis in temperies mitigetur. Ubi crucem illam oleatam linteo deterfit, septem alias cruces in ea format, intus vero solum unam: postea Psalmos aliquos recitant, campana thuribulum subdit & suffitum facit, eique bene precatur; plerisque in locis epulum dari consuevit & peragi convivium non secus atque in nuptiis. Causam hujus baptismationis plenius planiusque exprimit Synodus Provincialis Colonienfis habita Anno dñi MCCCXXXVI. Benedicuntur campanae ut sint tubae Ecclesiae militantis, quibus vocetur populus ad conveniendum in templum & audiendum verbum DEI, clerus vero ad annunciandum manere Misericordiam DEI & veritatem ejus per noctem, ut per clarum sonitum fideles invitentur ad preces, & ut crescat in his devotio fidei, quamvis etiam Patres aliud respexerint, videlicet ut demones tinnitu campanarum Christianos ad preces concitantium, quin potius precibus ipsis territi abscedant, illisque submotis, fruges, mentes & corpora credentium ferventur: ut procul pellantur hostiles exercitus & omnes insidia inimici, fragor grandinum, procella turbinum, impetus tempestatum & fulgurum temperentur, in festa tonitrua & ventorum flamina suspendantur, spiritus procellarum & aërea potestates prosternantur. Breviter ut audientes confugiant ad sanctae Matris Ecclesiae gremium, ac ante sanctae Crucis vexillum cui flectitur omne &c. Plura qui de campanarum benedictione & Baptismo scire avert, adeat Pontificale Romanum Lib. 2. de Benedictione signi vel Campanae. Superstitiosa

stitione quoque sunt mulieres, quæ corallia, lintea, fascias & id genus alia ex aqua Baptismi singularem quandam efficaciam ad sanitatem consequi somniant. Bodinus L. 2. Dæmonoman. c. 8. memorat, quod quidam bufones baptizari curent in usum veneficiorum. De Duce Albano referunt, quod equum & capram baptizatam in comitatu habuerit *Conf. B. Gerb. in L. de Bapt. c. 7. sect. 1. §. 170.*

XIV.

Errant qui vel conjugatos à communione Baptismi discriminantur: vel mente captos & vi coactos indiscriminatim baptizant. Marcion & ipsius affectu conjugatos ad Baptismum neutiquam admittendos esse censebant, sed virgines duntaxat, viduas, cœlibes aut divorcio à viris separatas, quique matrimonio ejusque fructui renunciaissent. *Cent. Magdeb. 2. de rap. de baret.* SCHOLASTICI nonnulli in baptizandis debitum non observant discrimen ut *Aureolus 4. sent. dist. 4. quæst. 1. Scotus 4. sent. dist. 4. Emanuel Saa in Aphor. 10.*

XV.

Errant qui vel infantes baptizandos esse, vel baptizatos fidem habere negant. ANABAPTISTÆ magno cum impetu & furore Pædobaptismum impugnant & in infantia baptizatos rebaptizant. Ita enim Menno Simonis Lib. Fundament. de Baptismo: *Quoniam, inquit, in Scriptura ne unam quidem literam invenimus, quæ probet Christum Baptismum infantum mandasse, vel Apostolos ejus illum docuisse & usurpasse, bona temperataque mente dicimus atque profiteremur, Baptismum infantum nihil aliud esse quam humanum commentum & traditionem; privatam opinionem, perturbationem seu destructionem ordinationis CHRISTI, imo manifestam abominationem, stantem in loco sancto, ubi jure stare non debebat. Item; Pædobaptismum institutum esse, ut esset execranda*
abomi-

abominatio & idolum, ac originem ducere ex Papatu vel regno Anti Christi. PHOTINIANI cum Anabaptistis infantes esse baptizandos & ad fidem aptos negant. *Catech. Racov. c. 4. Smalcus in Refut. Thes. D. Fr. Diss. 10. Socinus in Libro quod Evangelici se debeant adungere c. 4. Moscor. de Bapt. p. 22. Gzechovitz Error 12. Pedobapt.* CALVINIANI negant infidelium liberos, etsi in potestate Christianorum sunt, esse baptizandos. *Calvinus in Ep. 147. Beza in Colloq. Mompel. Bucanus in Instit. Theol. Idem quoque actualem & salvificam fidem infantibus detrahunt, Zwingl. Tom. 2. oper. L. de Bapt. Beza in Colloq. Mompel. P. Martyr. L. C. Urs. in Catech. Bucanus in Instit. Theol. Loc. 47. Piscator. in Apol. Bibl. Herb. Infantes δυνάμει potentia & inclinatione credere dicuntur. Item non fidem sed semen fidei in iis esse Sebastianus Benefeld in Praelect. Ursinus in Catech. part. 2. Bucanus in Instit. Theol. Loc. 29. Item esse fidem inchoatam in suo principio & radice. P. Martyr. l. c. Ex quo simul sequitur infantes tantum potentia esse baptizandos. Item infantibus justitiam à DEO imputari non eadem ratione qua adultis scriptitant. *Piscat. in respons. ad dictata Hoffmanni. Lubbertus in Comment ad 99 errores Vorstii* Item infantes baptizari & salvari fide aliena h. e. Parentum & Ecclesiae. *Beza in Coll. Mompel. Hungari in Panharmonia. Perkinsius in Catech.* PONTIFICII Pædobaptismum ex scripturis probari posse inficiantur. *Bellarm. L. 4. de Verbo DEI c. 4. & habitum fidei infantibus tribuunt, actualem fidem eis denegantes. Tannerus in Colloq. Ratisb. Catech. Rom. Bellarm. Lib. de. Bapt. c. 10.**

XVI.

Errant qui infantes fidelium extra & citra Baptismi usum vel sanctos nasci pronunciant, vel non salvos fieri indicant. CALVINIANI somniant infantibus fide-

E

lium

lium peccatum Originale non imputari. Quare prius
 eos esse in fœdere DEI, membra veræ Ecclesiæ & san-
 ctos, quàm baptizentur. Unde Zvvinglius in fidei ra-
 tione ad Carolum. Peccatum, inquit, Originale damnati-
 onem non meretur, si modo quis per parentes fideles natus fue-
 rit, Ibidem; Christianorum liberi multo magis quam nos ipsi
 DEI filii esse & dici possunt. Calvinus Lib. 4. Instit. c. 15. Non
 ideo baptizantur fidelium liberi, ut filii DEI tunc primum fi-
 ant, qui ante alieni fuerint ab Ecclesia, sed solenni potius si-
 gno ideo recipiuntur in Ecclesiam quia promissionis beneficio iam
 ante ad CHRISTI Corpus pertinebant. Idem in secunda de-
 fensione. Communis fidelium liberis est gratia, quæ Paren-
 tibus eorum nomine oblata est. Beza. part. 2. q. & resp. q. 126.
 Hoc quidem verè dixerim interveniente piorum Parentum fide
 fieri, ut nati vel nascituri infantes sancti sint i. e. in fœdere cen-
 seantur ac proinde serventur. Aretius in probl. p. 245.
 Infantes suo modo fideles dici possunt, habent fideles parentes,
 habent Spiritum Sanctum. PONTIFICII infantes Chri-
 stianorum sine baptismo decedentes vel prorsus da-
 mnant, vel ad locum aliquem inter cœlum & infernum
 medium. Hung. in Colloq. Ratibon. Bellarm. c. 6. de amiss.
 gratia c. 3. 4. 6. Dominicus à Soto Lib. 2. de nat. & grat. c. 10.

XVII.

Errant, qui Baptismum vel perpetuum N. T. sa-
 cramentum vel efficax gratiæ & salutis instrumentum
 esse inficias eunt. PHOTINIANI baptismum pro ce-
 remonia habent externa, humana & omnis diviniæ ope-
 rationis experte, cujus susceptione in initio N. T. è Ju-
 daismo vel Ethnicismo ad Christianismum conversi fi-
 dem suam in Christum publicè professi sint. Catesb. Ra-
 cor. c. 4. Ostrod. in Justie: Germ. c. 39. Smalzius in Refut. Th-
 D. Framz. Diss. 10. Moscorovius in Refut. Libri de Bapt. Mart.

Smigle

Smigl. c. 1. Socinus in Libello quod Evangelici Ec. c. 4. CALVINIANI omnem ferè efficaciam derogant Baptismo, siquidem eum, non regenerationis faciunt medium, sed tantum nudum signum. Calv. l. 4. Instit. c. 15. s. 1. Baptismus, inquit, signum est initiationis quo in Ecclesia cooptamur societatem. Et s. 22. Unde sequitur non ideo baptizari liberos fidelium, ut filij DEI tunc primum fiant, qui antea alieni fuerint ab Ecclesia, sed solenni potius signo ideo recipi in Ecclesiam, quia promissionis beneficio jam ante ad corpus CHRISTI pertinebant. Ursin. in Explic. Cat. Cum dicitur Baptismus nos salvat, est lavacrum Regenerationis, est ablutio peccatorum, idem est ac si dicatur; Baptismus est signum Ec. Beza part. 2. q. 8. resp. q. III. Incipit, inquit, Baptismi fructus ab eo momento quo fides incipit, quæ quidem interdum præcedit Baptismum ut in Cornelio apparuit. Act. X. 47. interdum vero subsequitur, ut in infantibus baptizatis, & in Coll. Momp. p. 366. Lavacrum aquæ est tantum significatio & representatio spiritualis lavacri, non autem est ipsa ablutio, neque enim illam præstare aut efficere potest.

XIIX.

Errant qui Baptismum vel peccatum penitus dele-
re affirmant, vel ad remissionem futurorum delictorum
valere negant. PONTIFICII ab una parte delinqvunt
καὶ ὑπερβαλέω, ab altera *καὶ ἕλαψεν*. In excessu peccant
dum docent per Baptismum peccatum penitus tolli, ut
nihil in natura hominis renati relinqvatur quod peccati
rationem habeat nec concupiscentiam in renatis residu-
am verè esse peccatum. Bell. l. de Bapt. c. 12. & 13. Costerus
in Enchir. l. de Bapt. c. 9. Catech. Rom. part. 2. p. 251, 252. In
defectu peccant dum statuunt pœnitentiam post Bapti-
smum esse secundam tabulam post naufragium, per quam

E 2

homi-

homines lapsi non redeant ad navim Baptismi, quia efficacia ejus se non extendat ad futurum, sed solum ad præteritum. *Bell. Lib. de Bapt., c. 18. Spretz in Apoc. serm. 15. Concil. Trident. sess 7. Can. 10.*

XIX.

Errant qui Baptismum vel iterant vel duplicant, MARCION & ejus affectæ non tantum semel sed iteratò & sæpius baptizabant teste Niceta *L. 4. Thef. Ortbod. fid. har. 14.* & Damasceno de Hæres. HEMEROBAPTISTÆ, quia quotidiè peccamus neminem saluum futurum docebant, nisi qui singulis diebus sacro baptismate tingerentur, inde se & vestimenta sua quotidiè lavabant. *Supplem. Philastr. heres. 42.* ANABAPTISTÆ baptizatos infantes denuo baptizant in adulta ætate, CALVINIANI verbis quidem unum esse Baptisma confitentur, sed sensu ipso revera duplicem faciunt. Unde passim distingvunt inter externum aquæ baptismum, & internum Spiritus Sancti. *Vid. Cat. Heid. p. 41.* & per aquæ levi externum carnis five corporis fieri ablutionem; per baptismum internum seu Spiritus ablutionem cordis scriptitant. *Zwinglius Tom. 2. Oper. Lib. de Bapt. Calvinus Lib. 4. Institut. c. 15. s. 2. Beza in Coll. Mompel. Ursinus in Cat. part. 2. Bucanus in Institut. Theol. Piscator in Apol. Bibl. Herber. Catech. Palat. de Bapt.*

XX.

Errant qui vel omnes promiscuè rejiciunt vel plures temerè adjiciunt ritus. CALVINIANI nuda signa signantia statuunt esse sacramenta; Inde Exorcismum non sine maximo peccato in Baptismo usurpari scribunt. *Anbal. contra Witteb.* Exorcismum dicunt esse abusum Nominis Divini. Videatur etiam *Wolff. Musculus p. 312.* Reprehendit etiam Beza in Epistolis receptam & laudabilem consuetudinem, quod sponsores infantum nomine horum

horum compellati respondent. PONTIFICII miras & ridiculas in Baptismatis actione ceremonias adhibent, Vid. *Bell. L. 1. de Bapt. c. 25.*

APPENDIX DE PRAXI PÆDOBAPTISMI.

SECULO I.

PAulus dum Baptismum Circumcisioni æquiparat *Coloss. II. 11. 12.* apertè indicat, etiam infantes per Baptismum Ecclesiæ DEI inferendos, sicut in V. T. infantes circumcidi oportebat. Et infantes tempore APOSTOLORUM baptizatos esse Origenes & Cyprianus testantur de quibus suis etiam locis & seculis. DIONYSIUS *Lib. Eccles. Hierach. c. ult.* ab Apostolis traditum asserit, ut infantes baptizentur.

SEC. II.

Extat opinio de Baptismo infantum in Responsionibus ad quæstiones Orthodoxorum, JUSTINI operibus adjunctis *Respons. sc. ad q. 56.* Probatur etiam ex IRENÆO, qui L. 2. adversus Hæreses. c. 39 ait. *Omnes per Baptismum veni salvare; omnes, inquam, qui per eum renascuntur in DEUM, infantes & parvulos & pueros & juvenes & seniores.* Ubi per Renascentiam Baptismus designatur. usitatâ Veteribus loquendi formâ, ut à Vossio est animadversum,

SEC. V.

De praxi Ecclesiæ circa Pædobaptismum testantur ORIGENES *Hom. 8. in Levit. & in c. 6. ad Rom. Ecclesia,* ait, *traditionem ab Apostolis suscepit, etiam parvulis dare Baptismum.* Sciebant enim illi quibus mysteriorum secreta commissa sunt divinatorum, quia essent in omnibus genuina sordes peccati, quæ per aquam & spiritum ablui deberent, propter quas etiam cor-

E 3

pus

*pus ipsum corpus peccati nominatur, & AUTOR definitionum
 in operibus Tertulliani ut affirmant Magdeburgenses. Imo
 ipse TERTULLIANUS non obscure innuit Pædobap-
 tismum L. de Baptismate 18. ut à Pamelio notatum est. CY-
 PRIANUS etiam disertissime L. 3. Ep. 8. de Baptismate lo-
 quens ait: *Universi judicavimus (in Concilio 66 Episco-
 porum) nulli hominum nato Misericordiam & DEI gratiam
 denegandam &c. Nam DEUS ut personam non accipit sic nec
 aetatem, cum se omnibus ad caelestis gratia constitutionem aequa-
 litate liberata præbeat patrem, Et sub finem Epistolæ: Hac
 fuit in Concilio nostra sententia à Baptismo atque à gratia DEI,
 qui omnibus misericors & benignus & pius est neminem per nos
 probiberi debere, quod cum circa universos observandum sit
 atque retinendum, tum magis circa infantes ipsos & recens na-
 tos observandum putamus.**

SEC. IV.

De Pædobaptismo testatur NAZIANZENUS
 Orat. 3. de Sacro Lavacro. *Omni, inquit, aetati baptisma conve-
 nit. Idem ab HIERONYMO asseritur ad Latum de insti-
 tutione filia. AMBROSIIUS L. II. de Abrah. c. 11. CHRISTUS
 jubet omnes gentes baptizare, ergo hic non senex proselytus,
 non infans vernaculus excipitur, quia omnis aetas peccato obno-
 xia & ideo omnis aetas sacramento idonea.*

SEC. V.

Datur testimonium CHRYSOSTOMI *Hom. de
 Adam & Eva & Hom. ad Neophytos & alibi & CONCILIUM
 MILEVITANUM vel CARTHAGINENSE* cujus ver-
 ba sunt Can. 2. *Quicumq; parvulos recentes ab uteris matrum
 baptizandos negat, aut dicit in remissionem quidem peccato-
 rum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis pec-
 cati quod regeneratione expiatur, unde fit consequens,
 ut in eis forma baptismatis, in remissionem peccato-
 rum non vera sed falsa intelligatur, anathema sit.* *Quo-
 niam*

niam non aliter intelligendum est quod ait Apostolus per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt, nisi quem admodum Ecclesia Catholica ubique diffusa semper intellexit. Propter hanc enim Regulam fidei, etiam parvuli, qui nihil peccatorum in semetipsis ad huc committere potuerunt, ideo in peccatorum remissionem veraciter baptizantur, ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione traxerint. Instar omnium sit unus AUGUSTINUS L. 4. de Baptismo contra Donatistas c. 24. Si quis, inquit, in hac re auctoritatem divinam querat, quanquam quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum sed semper retentum est, non nisi Apostolica auctoritate rectissime creditur: tamen veraciter conicere possumus, quid valeat in parvulis baptismi Sacramentum ex circumcissione carnis.

SEC. VI.

FULGENTIUS de Fide ad Petrum. Firmissime tene & nullatenus dubites, parvulis, qui nec propria voluntate credere, nec pœnitentiam pro peccato quod originaliter trahunt, agere possunt, sacramentum fidei quod est baptisma, quam durationis eorum atas capax non esse potest, sufficere ad salutem. Idem innuit GREGORIUS MAGNUS Hom. 10. in Evango.

SEC. VII.

Praxin Pædobaptismi testatur JSIDORUS HISPALENSIS L. 2. de officiis Ecclesiasticis c. 24. & alibi.

Sec. VIII.

Infantes quoque baptizandos esse inquit BEDA L. 4. in Cantica.

Sec. IX:

HINCMARUS Episcopus Rhemorum, strenuus Pædobaptismi assertor narratur à *Magdeburgensibus*: & præter ea quæ ab illis de eodem memorata sunt, licet consilere ejus ad Clerum & plebem Ecclesie Tornacensis Epistolam.

SEC. X

SEC. X.

Parvulos baptizandos esse SMARAGDUS ABBAS in Anglia docet in 1. *Petr.* 2. & in Diademate Monachorum c. 64.

SEC. XI.

Pædobaptismum ANSELMUS Archiepiscopus Cantuar. probat in cap. 6. ad Rom. & 15. *Matth.*

SEC. XII.

LOMBARDUS Pædobaptismi veritatem confirmat c. 4. *dist.* 4. & Antipædobaptismum à BERNHARDO refutatum hoc seculo legimus Dominica in ramis palmarum *serm.* 1. *Conf. quog.* *Epist.* CXXL. PETRUS CLUNIA-CENSIS libellum contra Petri de Bruis errorem scripsit.

SEC. XIII.

De Pædobaptismo legimus passim in AQVINATE speciatim vero in *summa Theologie 3tia parte q. 68. art. 9.* Nec non in BONAVENTURA L. 4. *dist.* 4. *Resp. ad Dab. secundū.*

SEC. XIV.

Pædobaptismum docet Doctor subtilis in 4. *Sent. Dist.* 4. *q. 1. 2. Report. l. 4. Dist. 4. q. 1.* DURANDUS ejus necessitatem confirmat l. 4. *Dist. 5.*

SEC. XV.

Idem præstat JOHANNES DE BASSOLIS in 4. *Sent. Dist. 4. q. Unica ad sec. art.* Item CAPREOLUS in 4. *sent. Dist. 5. §. 6. q. 1.* BIEL in 4. *sent. Dist. 4. q. 1.*

SEC. XVI.

CONFESSORES A. C. Art. IX. docent quod pueri sint baptizandi, & damnant Anabaptistas, qui improbant Baptismum puerorum & affirmant pueros sine baptismo salvari. APOLOGIA A. C. Infantum Baptismum probat præcipuè ex mandato CHRISTI & Baptismi fine; & sic simul finem imponimus huic Disputationi repetentes votum B. D. MEISNERI: Benignissimus Deus, qui per Baptismum in sædus gratiæ nos recepit, in eodem usq; ad finem vitæ nos sanctos & immobiles conservet, per Christum Dominum nostram in Spiritu Sancto

AMEN!

horum compellati respondent. P
ridiculas in Baptismatis actione ce
Vid. Bell. L. 1. de Bapt. c. 25.

APPENDIX DE PRAXI PÆDOBAPTISMI SECULO I.

PAulus dum Baptismum Circumc
loss. II. 11. 12. apertè indicat, etiam
simum Ecclesiæ DEI inferendos, si
circumcidi oportebat. Et infan
STOLORUM baptizatos esse Origen
stantur de quibus suis etiam locis & se
Lib. Eccles. Hierach. c. ult. ab Apostolis
infantes baptizentur.

SEC. II.

Extat opinio de Baptismo in
onibus ad quæstiones Orthodoxor
ribus adjunctis Respons. sc. ad q. 56.
IRENÆO, qui L. 2. adversus Hær
per Baptismum venit salvare; omnes, i
renascuntur in DEUM, infantes & pa
venes & seniores. Ubi per Renascen
signatur, usitatà Veteribus loquendi
eit animadversum,

SEC. V.

De praxi Ecclesiæ circa Pædob
ORIGENES Hom. 8. in Levit. Sin c. 6
traditionem ab Apostolis suscepit, etiam
smū. Sciebant enim illi quibus mysteriorum
divinorum, quia essent in omnibus genu
per aquam & Spiritum ablui deberent, p
E;

miras &
dhibent,

MI.

arat Co
er Bapti
infantes
e APO
anus te
NYSIUS
fferit, ut

esponsi
NI ope
tiam ex
. Omnes
er cum
ros & ju
imus de
Vossio

estantur
lesia, ait,
re Bapti
nissa sunt
cati, qua
tiam cor
pus

